

- dedi ; quod si iterum mihi sit danda, actum siet.
nam ut alia omittam, pytissando modo mihi
quid vini absumsit " sic hoc " dicens ; " asperum,
50 pater, hoc est : aliud lenius sodes vide " :
relevi dolia omnia, omnis serias ; 460
omnis sollicitos habuī—atque haec una nox.
quid te futurum censes quem adsidue exedent ?
sic me dī amabunt ut me tūarum miseritumst,
55 Menedeme, fortunarum. *ME.* faciat quidlubet :
sumat consumat perdat, decretumst pati, 465
dum illum modo habeam mecum. *CH.* si certumst tibi
sic facere, illud permagni referre arbitror
ut ne scientem sentiat te id sibi dare.
60 *ME.* quid faciam ? *CH.* quidvis potiu' quam quod cogitas :
per alium quemvis ut des, falli te sinas 470
techinis per servolum ; etsi subsensi id quoque,
illos ibi esse, id agere inter se clanculum.
Syrū' cūm illo vostro consusurrant, conferunt
65 consilia ad adulescentes ; et tibi perdere
talentum hoc pacto satius est quam illo minam. 475
non nunc pecunia agitur sed illud quo modo
minimo periculo id demus adulescentulo.
nam si semel tuom animum ille intellexerit,
70 priu' proditurum te tuam vitam et prius
pecuniam omnem quam abs te amittas filium, hui 480
quantam fenestram ad nequitiam patefeceris,
tibi autem porro ut non sit suave vivere !
nam deteriores omnes sumu' licentia.